Conciones et orat. paneg.
D. Thomas Aquinas

Chociszewski Valeriani: Motor extra coelum angelus angelicus Doctor D. Thomas Aquinas. 1682

MOTOR EXTRA CÆLUM ANGELUS ANGELICUS DOCTOR D. THOMAS AQVINAS,

Sacri Ordinis Prædicatorum
Panegyrico plauſu ad publicum
Auditorium
In Baſilica S. Nicolai Conventûs THORUNENSIS Ejusdem Inſtituti.

PROMOTUS

Per ſuum pro exedra Oratorem

P. F. VALERIANUM CHOCISZEWSKI,

Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ Reformatorum Conventus Podgorienſis cis Thorunium Philoſophiæ Lectorem

ANNO

A qvo Motus proprius Pontificis DEI mobili innotuit Orbi 1682, Die 7 ma Martii.

ORATIO.

ITerum ſuus terris mittitur Angelus. Auditores Sapientiſſimi. Iterum ſuus adeſt telluri Nuntius, quia Angelus, Angelicus inquam Doctor Diviniſſimus Thomas, aures petit & oculos. Recipit hodie, inquinatus orbis, inquilinũ Cœli, recipit in advena Theophraſto, novum plaſtem, qui de limoso tetræ cæno, illime efformet cœlum. Quanquam nativum hic Angelus, circumfert Cœlum - cujus Auguſta Aquinatum ſidera, anguſtam non faciunt lucem. Doctor Angelicus, rectè Angelicis ſtipatur titulis, ſive in illo Virtutem communem ſpectes, Angelis, ſive videas Principatum. Intelligentias ſi vocamus Angelos? Intelligentiam omnem, rectè vel ſolo exprimit intellectu Thomas. Ea namq; eſt intellectui virtus, ut ſi quandoq; Angelos facere non poſſit, eruditâ Intelligentias faciat metamorphoſi. Angelus datur mortalibus Comes, Angelicus Doctor, origine Comes, non diſparem à cœlitibus regerit fortunam. Et quidem ſi Spiritum objicias? Paternam Thomas, illamq; corpoream reſpuit ſubſtantiam, ut de toto Spiritualis eſſet. Si Chorum attendas? in Dominationis ille recenſetur Hierachia, qui ipſis dominatur Muſis. Si munia conferas? majoribus iſte afficitur officiis, Commune illi ſiquidem cum Cœlitibus ſeu faciem videre Patris, ſeu vultum veritatis. Commune cum ijsdem, rudes ut inferiores Spiritus erudire. Hoc à cæteris diſcrepat calculo, quòd ubi alij in viis ſuis faciunt viatores, hic in ſua efficit Comprehenſores ubi cæteri hoſtium depellunt terrores hic ſolus mentis propellit errores. Singuli Mortalium, ſingulis egent Cuſtodibus, complures docti hunc unum prædicant indigetem, quia cuſtode illo indigent Angelo

Quare non cadens ca ſibus Cœlum, Luciferi ampliùs non doleat caſum, quando etiam citra Cœli injuriam, ſuus terris aſſurgit Lucifer. Orbum ulteriùs luce, non ſe defleat orbis dum Angelus Lucis, Angelicus Doctor, manet *lumen eunti.* Atq; jactet hodie, ſuam Africanus Africam, oſtentet adjudicatum Torquatus torquem, Dentatus nomen, à dentibus eruat, Cincinni, Cincinnatum coronent, Corvus Corvinum ornet, Fabius à Faba ducat orginem. Scipio ſcipioni debeat primordia, Angelicum ab Angelo immortale traductum nomen immortalibus gloriæ adſeribitur faſtis. Unde, fuerit nonnunquam Antiquitati Sacrum, ſacros celebrare Genios: Te ego Diviniſſime Doctor dum Angelum veneror, antiquis Novum compello dictis.

Magne Geni, cape thura libens, votisq; faveto.

Et exanime Panegyris corpus, Te ipſo anima, qui Spiritum præfers. Ego interim Panegyrico plauſu, quia Angelicum Doctorem motorem extra Cælum prædicabo Angelum. Angelico Spiritui Auditor ſapientiſſime, reſpondebis cum Spiritu Tuo, ubi Tractatum philoſophi de Angelis, hac in parte Theologus, acclini excipies aure.

Priùs penè Aquinaticus Thomas Stagyrita fuit, antequam Infans; dum Motum ſuum à Comitibus Aquinatum, ut termino à quo incepit. Priùs Landulphi Cælo deputatus Angelus quam natus? Cælo inquam quia Illuſtriſſimo, Illuſtriſſimæ Comitum de Aquino Proſapiæ. Prius paradoxo ordine, in Luce fuit, antequam communem expertus lucem: lucem namq; principum Natura donat, Heròas Deus. A luce datus, ad mundi tenebras, à tenebris ad vitæ lucem, motus ſanè motibus contrariis. A Comitibus productus, vitam feliciùs comitem hauſit. Aggreſſus Naturam Angelus, aggreſſus Principium motus: Natura quippe Stoicis principium indicat motus. Ut pene jam non ſoli Cælo-

rum

rum orbes, Angelorum sibi debitum revolvant motum. Natus Landulpho Comite de Aquino, ipsis aquis vicinior Spiritui, supra quas olim ferri Spiritui commune fuit. Ab aquis suum deduxit Nomen, sine quo terra ut principali elemento mansisset arida. Prædictus Theodoræ matri, ab Eremita, mutorum etiam in deserto lingvas fecit disertas. Nato Terpsichoro Poëtæ Luscinia astitit, nascituro Thomæ, sylvestris dedit vocem Ales. Citiùs ad illum, ejusmodi alites, quàm ad Alexandrum aquilæ convolarunt. Et his quidem suffecit, Regalis tecti quievisse fastigio, has verò decuit sanctiora cecinisse auguria. Bonis igitur natus avibus, quia à sylvestri alite Nomine B o n o Asceta prædictus. In magnis ejus Genthlijs, auditæ Matrum per plateas voces, ad Scholam pueri, ad Scholam pueri, quibus jam suus parabatur Magister. Et hæc namq; Tyroni felicitas, bonum reperisse Doctorem. Infantis vagientis luctus, solo librorum temperabatur delectu, ex quibus solatium Orbi, lætosq; erat daturus plausus. Innatum pueris puer antevertit morem, ad literas gaudia miscens, ubi fletus incipiunt. Hinc legere quisq; poterat, non tam ex illis libris, quam liberiori Infantis genio, magna futuri præsagia ingenij. Verùm costitit Thomæ, vel in Cunis, per Constantiensem præsulem, Mariam cælum esse, (*Epiph. orat. de Dei par.*) illi proinde, vel mutus ad huc, quia Infans, nobiles mutavit motus. Alluebat bona Mater Achillem suum, non jam styge, sed Limpharum balneo, cum ecce ille descriptum M a r i æ Nomen in salutatione Angelica, pulchro absumpsit omine. Quasi M a r i a m, vel inde veram ostenderet Palladem quod jam non in Tritonia, sed Aquinatica primùm visa fuerit palude. Siccine Thoma, naturæ disordinas ordinem? & ubi omnia in mare intrant flumina, in tuum gentilitium flumen intrarunt M a r i a? Siccine augusta revocas Augustini tempora Angelice pusio & exigua oris Tibi favens favilla, integrum absumis Oceanum?

 Sic

Sic, ſic, ab aquis natus Aquinaticus Thomas, ſolas expetit aquas. Immenſum ſorbet Marianum Neptunum; ille qui major eſt Evclionum abyſſus. Conceptam Tantali in faſciis ſitim integro reſtingvit Mari. Affines nomine cùm ſint littoribus literæ, flumem iſtud non littora tantùm, ſed literas lambit. Fluidum Aquinatum elementum, elementa in Mariano Nomine appetit literarum. Totam uniones aquis cùm debeant originem, Divinam ſibi Aquinas, nativo jure univit Concham. Si Philoſopho teſte, Mamilla mundi mare dicitur, Infanti Noſtro non aliud in cibum ceſſit pectus, quam MARIÆ. Hoſpitari nonnunquam ſolitus ſol, amodo in ſe pandit hoſpitium. Illuſtrata hactenus à ſole Luna, hodie ſolem, illuſtravit Aquinaticum. Cumq; illi è vicino poſita, ecclypſim, de more inducere debuerat, tunc pulchriùs illuſtravit. Habet, & hic de Aſtronomi notatu, Sol comitem ſtellam, ſive MARIAM orienti Phoſphorum, ſive occidenti Heſperum dicas. Repertus olim inter Muſas Apollo, hodie Muſæ ſuum inter repertæ Apollinem. Intitulatus nonnunquam Literarum Heluo à Platone Ariſtoteles, eumdem re ipſa Infans Thomas, abligurivit titulum. Ideoq; ſumpturus vir integra volumina, chartis Fuer deglutiendis aſſveſcit. Nec enim alia ſalutatio Angelica concernebat labra, præter ſolius Angeli: Quam cùm ore exprimere nequiret, altiùs tranſmiſſam impreſſit cordi. Solo ipſi modulatus corde, ubi clauſa vocis fuêre organa. Cùm in Matris nequivit eſſe viſceribus Matrem in ſuis cunclu ſit, ut vel ſic Cœli fieret conſangvineus. Et hæc ejus non vulgaris felicitas, vulgi ſuperavit fortunam, ubi MARIA Joannem in maternis inviſit viſceribus, Thomam in propriis. Pendulus ab uberibus, Angelica abſumpſit verba, ut jam inde Angelico aſſveſceret cibo, qui Angelicum nutriret animum. Præſtito de cœlo cibo, eſurientem obdulcavit pectus, nimirum cœli civis, non aliâ debuit ſatiari annonâ quàm quæ de cœ-

lo

ſo veniſſet. Hinc non mirum, quòd Angelorum factus conviva, totus in mores tanſierit Angelorum. Ex quo, diſce cibum grandium Chriſtum eſſe, cibum Infantum Mariam, ubi uterq; noſtra exambit viſcera. Et Tu adoleſce Infans, adoleſce, non medullis Leonum, ut Hercules ſed Cœli paſtus edulio. Vive, vive, felicior Saturne, hoc pharmaco ſatur, non enim novelle Antoni, Regnum bibiſti, ſed Cœlum ipſum comediſti. Creverat jam in majorem ætatem puſio, qui ut etiam in majorem creſceret virtutem, ad Caſſinum non casſum piorum reddidit laborem. Reperit quippe in Caſſino, Sanctiores Caſſianos, quorum magiſterio, jam non Landulphi tantùm, ſed & Virtutis naſceretur Comes. Reperit veriorem Parnaſſum, à quo melior ſurgeret Apollo. Quinquennis Benedicto traditus, à quo ſolam benedicendi diſceret artem, futurus magnus Rhetor. Si olim aſſerente Livio, quinquennalis Magisſtratus extitit, jam ille puſio, in ſuo quinquennio, Magiſtrum Tyro redolebat. Ad vitæ initium, initiatus virtute, illius optimum, ſortitus eſt finem. Ut dubites innatam ne, an acquiſitam habuerit? Infans ad ſacra confugit fana, ut Annibalem puerum crederes, ad aram jurare excidium, illum Romanorum, hunc vitiorum. Suplevit in puero virtus ætatem; quod enim ipſi immatura ademerat ætas, hoc meliori fænore virtus repoſuit. Annorum curſum, ita curſu autecurrit virtutis, ut Senium quod adultus debuerat, viveret puer. Pietatis tam pulchram junxit antitheſim; ut virum in puero ferret, autumnum in vere faceret, meridiem in ortu crearet, ſeriem ipſam in exordio proponeret vitæ. Maxima indicans, majora pollicitus adhuc. Non ſemper enim virtus expectat canos. Honorum curſum, præcurit pietas. Moram non trahit, quem pulchris indoles inſtruit moribus. Dies non computat virtus, ubi Bonitas ſuperat ætatem. Sed detineri hic Angelus, ad Benedicti nequivit Zodiacum, quem Dominici trahebat Sidus. Noverat nempe

nempe Pastorale Benedicto inesse pedum, à quo pedem extulit; ut ne qui honores fugeret, in honores incidisset. Tibi id tamen adnotandum est, meritissima Benedicti Religio, quòd, Benedicto Tuo, ceu Sanctiori exorcismo, Spiritum sæculi à Thoma pepuleris, & eidem Religionis indideris. Tandem Neapolim, se Motor movit Angelus, ut in nova Urbe, novum literarum poneret Tyrocinium. Et illi se juvenem consecraret Urbi: quæ olim à Cumana condita îuventute. Inerant namq; Hippocrenei Neapoli fontes, quos non Pegasi ungula, sed Neapolitanus eduxit eqvus. Ad illum Hippocrenem omnia maturuerunt in Thoma, quæ adolescere in aliis cæperant. Nullam ingenii cunctationem expertus, quam olim Fabius Cunctator in discendo sustulit. Nulli titubationi subjectus, cui olim Titus Manlius in studio subditus fuit. In illa sapientiæ palæstra didicit Doctore mellifluo, rem non celante, Religionem Cœlum esse, cui proinde deputatus assistere debuit Angelus. Et certè si Cœlum quasi stellis cœlatum dicitur? consimilem in Divinissimo Dominico agnovit cœlaturam. Si intitulante Gregorio, Magnus Dominicus Auroræ sortitur Nomen? equidem sol Aquinaticus præeuntem secutus Auroram. Si alteratio Motus est? hunc motum expertus noster Angelus, factus.

— — — *Alter ab illo.*

In anno tertiodecimo famosis Prædicatorum adscriptus Prædicamentis, majus sibi ipsi Prædicamentum adjecit. Hæreditariâ relictâ Substantiâ, sacrum Dominici amplexus Habitum, à primo ad ultimum novas in Spiritu fundavit Cathegorias. Ductus ad DEUM, eô prodromô fundatoriæ stellæ, magnus Aquinatum sangvis, quô olim Magi ad eumdem deducti. Et hic namq; *monstrant Comitibus astra viam.* Publicæ natus luci, iterum à luce primodia sumpsit. Serenissimus juvenis nativam ne amitteret serenitatem, lucidæ

Domi-

Dominici junctus est Cynosuræ. Et equidem, sola Cynosura Comitum debebatur aquis, sola Pharos Aquinaticas concernebat Lymphas. Adeo ut Dominicanæ Thomas adjunctus luci, tunc secundò in lucem editus dici potuisset. Jamq; gratulor Tibi Fundatorie Canis, quòd eam Tibi venatione conquisieris feram, quam olim vaticinio sylvestris detexerat Faunus. Gratulor Tibi solo facula Dominici ardescens zelo, quòd cum in Juvene accenderis ignem, quo non unus.

Virgilus - - - - *Jam proximus ardet*
2. Æneid. *Vcalegon.* - - - -

Gratulor Vobis Candidi olores, quòd ita Aquinatico flumini, ceu Caystrio, jam liberè innatetis. Tu verò, ô Doctor Angelice Prædicatorio jam assistens Cælo, aliam virtutum move sphæram, in qua sint scilicet.

Virg, ecclog.3. - - - - *Jovis omnia pelna.*
Quamobrē *Jam juvenis, jam Vir, jam se formosior ipso* Ov.

Omnes virtutum recipit formas, tanquam singularum capax materia. Innocentiam ejus si tangeres, statum primum rursus stare putares. Ei simul omnia, quæ uni vix singula contigêre. Fide instructus divinâ, pulchriùs cecinit. Charitate imbutus, ipsas gratiæ spirabat Charites. Solâ spe forte carens, qui toties dotatus à Cælis, jam pene beatus vixit. Qui olim viderat templum in speluncam versum, ipse speluncas etiam vertit in templa, omni loco oratione fervens. Affectu supra terram levatus, cunctis eminebat; quasi terrena omnia sub pedibus habere vellet. Sic Divo Oratori non alia placuit suspensio. Magnus in aliorum oculis, parvus in suis. Elatus etiâm semper humilitate vixit depressior. Bononiæ inferiori associatus socio, hoc se ipso superiorem fecit, dum egit infimum. Erat quòd stuperet Bononia, dum Comes Aquinaticus, Comitem profitebatur Angelum: Doctor Angelicus

gelicus post gymnastica theoremata, praxim fuit dejectionis aggressus. Hinc post, oblatos recusavit honores, illis se onerari non honorari sentiens. Infulatis noluit attolli verticibus, qui humiliorē delegerat statū. Ut liberiùs ad astra tolleret vultum, Archiepiscopali noluit verticem gravare tiarâ. Christo morienti, sæpiùs commoriebatur: Absconsum in sacra synaxi, suis abscondebat visceribus; quasi Angelico Doctori, solus Angelorum deberetur panis. Inediâ maceratus, agnovit, parsimoniam virtutis magnum esse vectigal. Ardua quæq; aggressus, Regium expressit in Comite animum. Nimirum as-s-escendum duris est, qui cœlum cogitat. Longum, & arduum iter, delicatos non tolerat viatores. Agni Cœna jejunis posita est: Felicitatis Patria seposita miseris, æterna requies apposita fatigatis. At novum pro virtute videamus Athletam, motorē spiritum, matrem in furias moventem; & luctantē Angelū. Aaggreditur arenā, quā solus instruxit furor. Mater Bellonam agit, frater Martem, filius hostē, eo tantùm nocens, quia innocens, eo invisus quia Angelus. Verùm nō hic bona Mater Amazonem agas, ubi propugnari, non oppugnari Tuus deberet natus. Filius est non soror, quem feris nova Penthesilea! sangvis Tuus est non hostilis, contra quem decertas Martesia, non sic heroicis veterum insistitur ausibus Heroina! Erexit Imperium Helena, Persiam Cæsarea ad fidem traduxit, Galliam Theodelinda, Franciam Clotildis, Hispaniam Undegunda, Angliam Margaretha, Ungariam Gisela, Poloniam Bamburca, Germaniam Ethelberga, aliæ aliò, aut Relionem intulerunt, aut pari conservârunt laude; Tu sola sacram Dominici Religionem infringis? Crede, crede Mater, notum orbi nunquam consequeris finem, dum Tuum persequeris natum: Jamverò vide quid tantum proficiet nefas. At molles neminem emolliunt Favonii, quem durior obduravit furor. Maternis filius actus furoribus oppugnatur non expugnatur; vincitur, non vincitur, mancipium in libertate, liber

in

in mancipio. Libertatem maluit amittere, quàm virtutem omittere. Etiam namq; inter vincula fortis triumphat animus. Nec ille semper jugum ponit animo, qui corpori. Infami intruditur loco, ut illi detrahat ignominiam. Virtus enim quidquid intrat condecorat. Ad tenebras damnatur, ut clariùs inter opacas resplendeat tenebras. Major fuit, quàm ut arctari caveis, aut coarctari posset catenis. Quocirca vel hic etiam Magni momenta legite Thomæ, quæ ille dispersus collegit. Nimirum Prædicatorum Curtius, tetri hiatum subiit Carceris. Nullibi liberior, quàm ubi ageret pro Spritûs libertate. Vocaliùs orbem implevit ferrearum sonitu catenarum, quam si aureæ personassent: Nam mulcere illæ aures natæ, non animos erudire. Prælia meditatus contra Erebum in cunis his voluit adoloscere in fasciis. Nempe tales virum decent fasciæ, quæ vel amore Patriæ infascinant oculos, vel ulteriùs disponunt ad fasces. Carcer illi pedum ademit libertatem non animi, quâ illo lustro, meliùs lustrabat sidera. Cui pro-nunc licet damnato ad vincula quia tamen Leoni, flebiles Leonis intonent alites: heu Thoma! heu Thoma. Sæviisti hactenus piâ in Parentes impietate, sævire debes ulteriùs pulsquã Hercules quia contra duas sorores. Vidit tunc ætas, novam rerum æstatem, binas nempe sorores fratrem vindicantes, ubi olim bini fratres suam vindicarunt Helenam. Sed neq; illa virago, voraginem vel Abyssum potiùs absorbere potuit. Vastare se quæ venerant, ex illis sacras effecit Vestales: ubi uni illarum commnnicatâ à Dominico incensæ flammâ sacrum iniecit flammeum, O stupor! Vinctus Thomas, majores animis jacit compedes. Fundaturus gymnasia, fundat gynæcea, hic docturus scientiam, hic virtutem, in utroq; Cæsar, & Magister. Tunc verè immissam sibi agnovit Germanam, cùm illa suscepto Spiritus germine, consimilem germinavit fructum. Romanam olim felicitatem sibi venisse vel tunc censuit Romanus Adolescens Ælius, dum Beatricem unicam Theo-

dorico natam, Æliâ suâ excepit navi: at Tu Felicis nomen de toto occupa Dive Juvenis, quòd Tuæ matris filiam verâ Religione Beatricem, Pudicitia Lucretiam, pulchritudine Isabellam, Virtutibus Pulcheriam, Artibus Eudociam, Sancto amore Sanctiam factã, Gentilio Cælitibus, transmiseris flumine. Ita Motrix Intelligentia, movere poterat, moveri minimè; feriente furore: cùm ecce movendo Juveni mediorũ luxũ, ultima subsecuta Luxuria. Tædio virtutis absumpto animo turpis admovetur tæda, quam gurges extingvat *A*qvinaticus. *A*ter Erebi afflatur fumus, quem virtutis depellat fomes. Cæci sparguntur amoris tenebræ, quas lucidior in Thoma dissipet Phæbus; ipse blandiens instruitur Cupido, quem suæ non sequantur cupediæ. Heus Thoma quid agimus? Informi non servias formæ. Olori Tibi, Venusinus accinit olor.

Horat. lib. 3. *Justum & tenacem propositi virum*
Carm. ode 3. *Non vultus.* - - - -
Mente quatit solida - - - -

Liber *A*quinatum sangvis, mancipii nunquam sustulit jugum. In ipsa etiam captivitate liber, captivæ non servias. Et jam exhorruit ipsa verecundia, ad effrons Monstrum, ubi hominẽ sine fronte agnovit. Toto illo carceris squalore, graviorem sibi nullam putavit diem, præter illius Veneris, quæ atram Soli minabatur ecclypsim. Verùm flagrare Thomas visus est, non conflagrare. In mediis flammis vivacior vixit Salamandra.

Horat. in arte *Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit.*
Abstinuit Venere. - - - -

Admotis caloribus nescit rarefieri *A*quinas. Niveus candor *A*cherontis non infectus fuligine. In umbris Carceris, adumbrari non passus Thomas. Elusus discessit Cupido, ubi igneis contra *A*quam pugnavit telis. Nec enim nativi deerant

*A*qui-

Aquinati liquores, quibus concepta in alieno pectore extingveret incendia. Stetit ad Larem accensum incombusta larix, ad ignem non ignavus, ad fraudes non fractus. Nimirum non semper omnes populatur populos ignis, adest etiam suus æstui astus. Ignis sphæra manet (Philosopho teste) proximo vicina Lunæ concavo, nec tamen Lunam infuscat proximus ignis. Per Æthnam calidam sparguntur gelidæ nives, *arcano tamen servantur gelu*. Totus in flammas licet mons exardescat Abanus, non aridum tamen profert semper virorem; ut meritò citra aliorum ignominiam Caroli Rancati meritus sit gnomam; *Inter Incendia viret*. Pulchra dum turpes fugit Daphne Apollinis æstus, in æternam conversa laurum, virescit & triumphat. Triumphat & Thomas, ubi Fescenninos jocos, & Paphios sales ut noxium oculis abhorruit salem. Stetit novi sæculi Cyrus, inter Pantheæ delicias: Alexander, inter Persidis Dariiq; spolia, Scipio inter Carthaginis prædas, Nicætas inter lenocinia, & pene Spurina inter spurcities, præsentes audendi occasiones, heroico attrivit ausu. Claude hic, claude officinam Vulcane, non ferro jam hodie, ferus vincitur hostis. Et Tu Auditor Sapientissime Symbolicæ in Thoma cœlesti inscribe sphæræ, *Immota revolvor*. Forma nitido adamanti formulam, *Candor illæsus*. Ut verò rarior triumphus æterno posteritati transmitteretur stylo, illum arrepto titione, in ipso descripsit hoste. Qvo ferè inusitatam instruxit aciem, ubi contra novam Camillam ipsos etiam certare jussit caminos: actumq; est torre.

Virgilius - - - - *Sudibusve præustis*.

Ut pene ignibus extingveret ignes. Mutavit solitum Antiquitati modum, & ubi accensis olim facibus, Hymenæi ducebant ad thalamos, ille deducit à Thalamo. Noverat scilicet Cæcum Cupidinem, cui ne longiùs in mentis & Carceris erraret, veniret tenebris ignem prætulit. Tædam assumpsit, ad cujus

jus sibi inimicam lucem, vespertilio ille lippiret. Impressit corpori notas, ut mentis abstergeret. Et animo adusto igniculis, congruum duxit corpori sensisse eosdem: vel certè ut simile citiùs simili evocaret. Cæterùm fervori Thomæ, & motoris Angeli primis motibus date veniam, judicem ille quippe egit non vindicem, ubi sacrilegam ad ignem condemnavit; foco simul & hostem & hostiã litans. Scilicet & hic etiã publica de carcere excommunicatio, sine jactis flammis absolvi non poterat. Hincq; verum concludite Angelum, quod & ignitum tulerit calculum, & physicam ignis (docente subtili) nescierit actionem. (*Scotus in 4. D. 44. Q. 5.*) Sic á virtute Constantiæ, alter Constantinus, clausis januis, iisdem armis inscripsit signũ Crucis, illud scilicet in qvo vicit. Induxit foribus Crucem, quasi binis illis vectibus, meliùs aditum obseraret, ac personatum Erebi genium solâ deterreret Cruce. Et bene nigra postibus inscribitur litera, qvá nonnisi niger fumigantis Orci damnatur tenebrio. Ergo Thoma quia pro Cœlo hactenus militasti, suppetias habe de Cœlo. Tentato Tibi plus quadraginta diebus, quia integro biennio, ac retro presso æmulo, accedentes ministrabunt Angeli: Commune siquidem istud Angelorum trophæum, ubi in Te uno, omnes vicerunt. Proinde si Apocalypticus Angelus es? Zoná aureá præcingi debes; si Palæstrita? balteum mereris, si unus de Prædicatorum albo? cingi teneris, claram altiùs daturus vocem, si viator? cingulo eges succingendus, si fasciculus? constringaris non dissolvendus, si Evangelicus? lumbos præcingas, cùm jam totus lucerna sis; si demum vivum in Te describis Cœlum, hæc Te Zona decet, qui non unam virtute expressisti lacteam. Dixerit olim modestiam, Zonam purpuream Euripides, qvá pudica cingitur indoles, ne laxiùs difluat, Gentilitium Tuum Euripum cinctura & ambitus decet ne amplius humano diffluat more. Itaq; præcingere, præcingere Princeps scientiæ, cum Principe Ecclesiæ, ductore Angelo, squalidum

lidum tandem relinques carcerem. Albâ Magni Dominici indutus es, nunc iterùm Cingulo ab Angelis præcingeris, reliquo sacerdotii Te præpara ornatui. Concute alas Angelice Ales, & celerem Motor move per æthera pennam. Hic verò toto Cœli theatro plausus excitus, ubi nec minore prælio, nec præmio victoriæ, conspicuus claruit Aqvinas Per murum demissus Doctor Angelicus, & in hoc secutus Doctorem Gentium. Maternas evadens manus, cum vita amplas gloriæ & virtutis retulit manubias. Per fenestram paterna profugus domo, nactus effugium, indicavit; quòd illâ fenestrâ, & subdolum perspexisset mundum, & ardentem furiis fugisset Trojam. Sed eia erraticum sidus, in quam tandem pelleris oram; exul beate quam requiris patriam? triumphans transfuga quem petis terminum? Prædicatorum Phaëton, quam appetis augem? ut relictâ Paternæ domus specie, vagum àberres individuum? Juratus erat Thomas Domino, quia Dominico, servus, diu à proprio abesse non passus hero. Aquinatum Comes, sociũ requisivit. Biennales Carceris protrahens ferias, in Dominico, ut sabbatho, sabbaoth, requiescere cupiit. Ferreum se quia in arduis fecit, à Magno Alberto, & magnete veriùs trahi debuit. Ergo iterum ruptum suscitat Angelus Cælum, cùm sol Dominicæ jungitur stellæ. Et florentis ævi indoles, Parisiano inseritur lilieto. Et quidem sic decuit candidũ Juvenẽ liliis adscribi, sic licuit intactam virtutẽ liliis coronari, sic debuit carceris gravi confectus odore, liliis admoveri; Ut illum non læderet liliorum odor, quem virtus stabilem fecit. Eguit namq; & illud Lilietum Aquinatum aquâ, quâ fieret *florum minimè minus*. Eguit Parisium suo Paride, in quo vel antiquum sui veneraretur Conditorem, vel sua se condientem præsentiâ. Ambiit Galliæ sedes, eum Principem, qui scientifico erat imperaturus orbi. Si Lutetia ex Græco ab albedine dicitur novo sui Thomam nitidũ inserere tenebatur albo; si à candore? recipere Candidatum; si ex vulgi etimo à luto? Lithostrotum illius, Aqvinatum doctum debuit di-

lucre

luere flumen. Invidit tamen Colonia, eām Lutetiæ sortem, quòd sola ab Aquinatico illustraretur sole; ac proinde abstrahens Lutetiæ Thomam, parem se fortunâ Parisio fecit. Noverat scilicet fundatricem sui Agripinam, ex veteranis militibus deduxisse Coloniam, illis igitur si non Colonellum, certè Ducem, & Principem ipsum statuit Thomam. Ibi verò ad magna natus, magnum sortitus Albertum Magistrum: sub quo erudito Chirone, gloriosior surgeret Achilles. Illum recepit Doctorem, à quo Aristotele, magnus evaderet Alexander. Illum secutus Instructorem, sub quo Isocrate felicior fieret Theopompus. Quippe magnum animum, humilis non decet situs. Alta virtus non petit demissa. Magnum magna decent, & non parva indoles, tamdiu majora appetit, quamdiu ad maxima datur gradatio. Hinc quid mirum? si Duce Magno Magistro, summam Thomas Theologiæ scripserit? dum à Magno sola sperabantur summa. Verùm quia necdum decurtata manet in sua veritate, licet Curtii parœmia; Altissima quæq; flumina, minimo labi sono, dum & Aquinaticum non sonuit flumen, in muti Bovis resonuit nomen. Et bene Bovis, qui natus ad laborem, non præcoci labitur passu. Bene Bovis, qui ad aram & aratrum datus, non aridos ubivis protulit fructus. Benè Bovis, qui tacitè ruminata vocalibus sparsit rugitibus. Etenim splendenti ille lingvæ vomere, feracem Religionis excoluit agrum, cùm felici jactu sementis, magno fuit proventu frugifer. Sive cùm ut vitulus, sacrum inaravit agrum, sive cùm ut Doctor literas exaravit, utrinq; magnam gloriæ collegit messem. Quare veriori vaticinio Apollinis tripode, à magno Alberto prorupit oraculum, convitium illud ut vitium arguens. Mutum inquit Thomam ridetis Bovem, sed vos vitulos agere necesse est, ubi ille Bovem excesserit. Non semper qui silet, obmutescere solet. Et Tacitus quandoq; vocalis est. De lege quæ mutæ sunt literæ, naturâ Consonantes nascuntur. Diu bellicum obmutescit tormentum, tamen *Cum*

sonitu

sonitu feriet. Organum sæpe longas silentij traducit moras, illi tamen *Dabit aura loquelam.* Multoties æra sonora silent, attamen *Resonabunt attacta.* Clausa suo delitescit conchylio gemma & tamen *splendebit aperta.* Cœlum minutiora sæpius noctu jactat sidera, in quo tamen *pulchriora latent.* Taurum soli colendæ putamus deputatum terræ, ille tamen, *Vicinior Cœlis*, Astronomi excolit ingenium. Et Bos iste non victimam tantùm, sed amplam promittit heccatomben. Cornua si suffert? hæc scientiæ redolent Cornucopias. Taurum si præfert? fiet iste Hæresi, gravior Phalaridis Taurus. Audita olim Cleanthes à Zenone, chartarum penuriâ, ossibus inscribebat Boum.

Fient ista palam, cupient, & in acta referri.

Quando consimiles literæ, in ore Thomæ, & ossibus descriptæ patebunt. Negotiosum enim, in commoda humana Cælum, nutrit animal, laboribus innutritum. Ergo, bene est, Bovem sanè referat, in omni quippe enuntianda veritate, adeo firmiter figet pedem, ut non facilè adversis valeat dimoveri machinis. Boatu ipse suo, neminem non beatum faciet, dum mutus interim, cogitat mugitibus totum replere Orbem. Dixit, & dictis simul suus venit eventus. Nam ubi sol Aquinaticus Doctoralem attigit augem, augeri cæpit nitidis scientiæ, & famæ fulgoribus. Nec amplius Pythagoram silentio prætulit, Ubi.

Alciat. emblem. *Fama viros, animo insigni, præclaraq; gesta.*
amor. 133. *Prosequitur.* — — — —

Hicq; potissimùm Motor Angelus, movit Cœlum, ubi Magistralem cœpit movere pennam. Astris enim simillimum nomen, scholastica referunt castra; dum.

Claud. de 4. consul. *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus*
Honor.

Et Princeps. scientiæ, motorem spirat non raro spiritum; Omnis quippe (teste illo.)

Joan. Auden. epig. 13. *Princeps, principium motus* - - -

Quanquam compendiosi & ipse Thomas nomen meretur Cœli, cujus perpetua revolutione Orbis stat literarius. Cœlum scilicet ille planetarium, in sua complanavit doctrina, licet nihil in ipso sit erraticum, qui à motu primi mobilis nunquam exerravit. Omnis (cœlo teste) erroris expers, quia bene exaravit. Quare jã felici⁹, Stoa, Peripata, Lycea, Sorbonæ vel sola nominis sorbentur Abysso, ubi Thomas Noster, non Doctorem tantũ sed & Ductorẽ profitetur. Quo ducente nõ ampliùs tortuosos animus literarũ pertimescat Mæandros, non abditos Aristotelis fugiat Euripos, non Divinæ mare exhorrescat scientiæ, ubi melior Thomæ tabula Hydrographica; *Monstrat nautis tutũ iter.* Enimvero aruissent adhuc usq; hodie, inter errorũ calamitates sepulti docti calami, nisi Aquinatico imbuti mansissent liquore. Cimerias inhabitassent tenebras, nisi Sol iste refulsisset. Cæcos professi fuissent errones, nisi hunc mundo Cœlũ donasset oculum. Literæ obliteratæ fuissent, nisi Angelicã sibi vendicassent pennam. Ipsa sacra Palladi humus, omnem perdidisset humorem, nisi meliori Nilo, Aquinatico irrigata fuisset flumine: quod *dum affluit effluit.* Trana, trana, feliciter hunc fluvium, cujus motu, & ductu, feliciùs quisq; ad Insulas Fortunatas obvertes proram. Illibatum prælibа alveum; hunc siquidem movente Monocerote fontem, nullum libantes timebunt virus, spondente Neapolitano Academo, omnes *Hoc Duce tuti* futuri. Docto hanc lympham metire remo, quisquis famæ tuæ impellis Argon; etenim, tot hic extra Colchos Jasones, tot aurei velleris numeras portitores quot Aquinaticis adnumeratos undis. At, quorsum cum motis ab Angelo defluo aquis? Vos potiùs Philosophi motore nostro non moveamini, & ubi Angelos non movere Cœlos intellectu dicitis, in nostra oppositũ discite Intelligentia. Multis orbibus unũ non sufficere conclusistis Angelum, hic (si animus mobile est) tot Cælos ab uno moveri, quot animos concludite. Et hic namq; Angelus, forma Cœlis assistens est, ad quã dum

capax

capax sistit indoles, informatur. Conditi tempus Angeli Cœlū cōdidit; at in schola Thomæ Angelos nasci, orbis noscit. Disce in hac Schola, & Angelus esto. Motum credit vates ad flumina solem, sed ab Aquinatico flumine iterum *Pulchriùs exoritur.* Quem etiam dum beneficum spargit influxum.

Pontan. — *Animal — esse putes, quod mobile totum.*

in communem movetur usum. Ferte, ferte vestra in lucem eruditæ sphæræ decora, vestrâ tamen intactâ luce.

Micat inter omnes.
Horat. *Julium sidus.* — — — —

Solem enim non videt, quisquis clara Thomæ non videt opera. Nec pugnax Subtilium animus soli officit, qui sua *nunquam deficit luce.* In sole SCOTUS, (dulce Oratori Doctoris nomen) nullas agnovit maculas, quas argueret, sed illi objecit contrarium, ut splenderet pulchriùs. Quod si Doctor meus, temeritatis arguitur, quia contra ipsum pugnavit Solem? parcite tanti Solis sequaces, sol ipse *majores excitat æstus.* Si objectum meretur tenebrarum nomen? equidem sol Diei, noctisq; Parens. Si Lunæ assumit titulum? utiq; ipsa.

Pontanus. *soror solis absente Genitore creata.*

Jam verò nec doctor Angelicus de militia censeretur Cœlorū, si tranquillam semper intonaret pacem. Nec Hercules, si suum non haberet Antæum, fortiorem à Minoritico surgentem cinere. Et hæc quippe Angelico Doctori gloria est, dum habet cum quo certet. Quanquam vinci etiam non erubesceremus à Thoma; quia & Subtiles sumus, & Minores, & certamus cum Angelo. Cæterùm hostis suum nunquam deturpat Athletam; solem æquivocus non inficit partus, subtilis acies, nec læditur nec pulchrā lædit lucem. At Tu, qui olim (*Phænix è cineribus redivivus. Posnaniæ.*) typo, cum *Inquilina latebrarum emblematica sapi-*

entiæ Inconſultorum tenebrionum evolaſti *noctua*: patet, qualis ſis ingenii, de quo ceu Cimmeriis tenebris, ſolæ evolant noctuæ; ut umbris amicus partus, ſolas ſui Parentẽ oſtendat tenebras. Non Te Polonæ Aquilæ pullum judico, qui noctuas venaris. Non Florentiſſimi Craci laureatum baccâ, cui veteris Academi cum noctuis amicæ umbræ. Cum noctua licet evoles, non mihi tamen adhuc ingenio Athenienſis es; Nimirum qui veterẽ Lechi adimpleſti paremiam, dum de Tuo cerebro, non doctam Palladem, ſed ceu vaſto horreo, ſolam evolare feciſti noctuam. Parco Tuo nomini, ne Tibi Jovi miniſtram fulminum, appingam noctuam, quem alias, vel in ipſo Evangeliſtæ nomine Aquila concernit. Tamen diſce mi tenebrio, noctuam nunquam penitiùs inſpicere ſolem; Hæc verò magna nomina.

Singula magna quidem, ſed erunt majora jugata.
Alter ab alterius, creſcit honore magis.

Seraphicis Thomas, multùm amicus fuit nominibus, utpote affinis de cœleſti Hierarchia Angelus. Hinc amplis affectus Bonaventuram proſecutus favoribus, quem ſibi Angelo Seraphica ſimilem reddidit natura. Ex quo; conjice, quàm feliciter hæ DEO ſacræ crevere plantulæ, cùm Dominicus, augebatur ut Dominus, Franciſcus creſcebat ut minor: Ut notum fieret fuiſſe etiã ante Ingenioſos ingenia, quorũ unum, totum fundatoriâ luce colluſtraret Orbem, Alterum Minori illapſu, ſanctos ageret dolos. Sed quò iterum cum motore moveor Angelo? Parcite Auditores Sapientiſſimi, Turpem usq; nunc quia inimicam, filius Subtilis Aquilæ inſectatus noctuam, tantiſper motibus aberravi. Jam autem ut Doctrinam moveam *Angelici* Doctoris, ſumma eſt, in Cujus Summa, ſumma omnia. Explicari poteſt hæc ſumma non exhauriri. Scientiam concluſit in partibus, hæ tamen partes, non minores toto. Eamdem diſtinxit *Articulis*, quaſi miſertum orbis

Cœlum,

Cœlum, argutum erudiſſet Thomam, qui illum poſt tot diſcordes vocum, & ſenſuum ſtrepitus, conſonè crepantibus erudiret articulis. Evidentiam Evcharisticam dum fecit, penè celatum vidit in ea DEUM; quia Theologo aſſerente (*Scotus in 4. Diſtin. 10. qu. 9.*) id poteſt *A*ngelus. Dulcem de eadem cecinit pæana, tunc vel maximè Cignus *Candidus, & Canorus.* Quo præcinente, digna certè parodia, quam Humanatum in cænaculo præcineret VERBUM. Scripſit contra Gentiles, quaſi pro DEO *A*pologiam faceret. Catenam ex Patribus confecit, ut vel Sanctiorem ageret Vulcanum, vel antiqvum veritati redderet Herculem. Matthæum commentatus ac ſi Matthæo vicem præſtaret *A*ngeli. Jobi non laſſus, interpretatus leſſus tanquam Scholaſticos plauſus threnis alternaret. De virtutibus tractavit Theologicis, ille qui Pontificio Clementis ſexti diplomate, Exemplar virtutum dictus. Magiſtrum Sententiarum diſcuſſit, ſalvâ integritate Magiſtri, Diſcipulus ſupra Magiſtrum. Totam demum eruditionem complexus, ut vera abyſſus pateret. Integram aſſecutus ſcientiam, ut Præfectus ſcientiæ ligno appareret *A*ngelus. Cui doctum moventi, & illuſtranti mobile, adde, *ſat Lucis ab uno.* Nec mirum tantam lucem ſparſiſſe Thomam, cùm *A*ngelis Theologi oraculo, inferiores illuminare competat. Devotus Cruci affixo DEO, ſumpſit penè *Lumen de Lumine.* Oppoſitus juſtitiæ Soli ſolita *A*ſtronomis effecit parelia, ad quæ ſecundum repercuſſit Solem. Dignus proinde, quem vel Divina commendarent ora, qui ſola oracula fudit. Dignus, quem Orator DEUS, Panegyris VERBUM laudaret. Bene ſcripſit omnia Thomas, ubi VERBUM bene omnia fecit. *A*pprobari meliùs ſcripta Thomæ non poterant, quàm ubi cor DEI bonum eructavit Verbum. Nullam ſubierunt cenſuram quæ DEUS ipſe recenſens eſſe bona cenſuit. De ſe tamen ſcriptis apprimè ſubſcripſit, quaſi probabilia probanda Scholis relinqueret; nec illis auctoritatis ſuæ adderet pondus, quæ de ſe luxuriantium mentium

leviora censentur. Ex quo disce Censor, arbiter esse ubi Numen Thomæ subscribens, neminem proscripsit. Sed non hic Angelus noster, motibus suis, terminalem metatus metam, qui illud Cœlici meretur syngraphum globi, *Indefessus agendo*. Nullam enim labi permisit horam, ubi Titus diem, quam suis non consecraret laboribus. In verbis Tullius, in ambiguis Oedipus, in flexuosis Ariadna, in intricatis Alexander, nullam reliquit diem, in qua virtutis vel scientiæ lineam non duceret Apelles. Tantus sacrâ Oratione fuerat, ut etiam apud Infideles, fidem haberet. Et cùm proprium Oratori sit movere, plerosq; ut Orator, & motor Angelus, ad sacrum movit lavacrum. Tantus in conceptibus, ut etiam ad Regias dapes, solo concepto mente fieret satur alimento. A Gregorio, facilitando Concilio Lugdunensi deputatus, illo sedato, perfectam Ecclesiæ indixit sessionem. Erat stupore & visu dignum, cùm totum Concilium, ab uno Thoma consilium audiret. Singuli Patres, singules habebant Theologos, de illo Totum Concilium unum Theologum habuit. Sed eheu! dum omnem in conquirenda pace Ecclesiæ movit lapidem, sibi sepulchralem non immotum reliquit motor Angelus. Exinde Lugduno rediens, in via felicem æternitatis obtinuit terminum. Æger ad sacram Cisteriensium decubuit familiam, ut felleum mortis bolum, melleus sibi condiret Bernardus. Illumq; moriens degustaret favum, quem Plato, Pindarusq; nascens prægustavit. Illam nasciturus DEO, prælibaret ambrosiam, quam olim natus sæculo prælibavit Ambrosius. Candido ad tempus adnumeratus Ordini, concolorem animo subiit diem: in quo prima illi lactea ad Cœlum via. Infirmus explanavit Cantica, ut moriens sibi debitas præcineret inferias olor: Vel illud viventi sibi faceret officium, quod mortuo nunquam debebatur. O vires, & virtutem, quibus sub mortis virus, infirmus Doctor cum firmo Salomone certavit. At, at, occupare dramate, post tot Doctorales laureas sacer poëta, sequetur tandē, tua *post Cantica funus*. Pulchros utiq;

cythara

cythara resonat sonos, donec ruptis obmutescat fidibus. Gratos ales concinit cantus, quoadusq; serus non veniat vesper. Et Tu animare in cantica, donec exanimeris. Noluit autẽ inter Patrios exanimari lares, ut sacræ suæ Familiæ, mortẽ non deberet, quæ illi vitã debebat: illi mortẽ non adscriberet, à qua vitam accepit. Noluit suorum manibus inferri tumulo, ne illos proprio contristaret letho quos olim nitidâ lætos effecerat luce. Ut etiã vigeret post fata, oculis tantùm suorũ subductus nõ animis. Si anima magis est ubi amat, quã ubi animat divelli à suis Aquinas debuit, ut liberiùs efflaret Spiritũ. Illis tamẽ sacra concessit Lipsana, ut cujus adhæserant animo, adhærerent corpori. Ergo facesse hinc Arthemisia Cariæ Princeps, propriis cõdens visceribus Mausoli cineres, meliùs Thomas sepultus in animis, quã corporibus. Ah utinam tamen illi pisciculi, qui famẽ solâ, satiarunt inediâ, vel propriam Doctori comunicassent vitam, vel retardantem egissent Remoram. Sed elusit flumen istud vota piorum, ubi subterraneos adivit meatus. Nam ubi Lycus in Asia, Erasinus in Argocola, Tigris in Mesopotamia fluvii, Æsculapii fons Athenis, in Aquileiensi campo Timavus, Fossænovæ Aquinas noster terram subiit: Fossanovâ in mortualem degenerante urnam, in fatalem abeunte fossam. Ivit, ivit Sol Aquinaticus fessus in Antipodas.

Boëtius *Cadit Hasperias Phœbus in undas*
Sed secreto tramite rursus
Currum solitos vertit ad ortus.

Verbo, quinquagenarius Thomas, in anno Jubilæi, cœli consecutus indulgentiam. Atq; ita reperit etiam Cœlos extra Cœlum, quibus motor astitit Angelus. Et qui usq; modo naturæ subditus legibus principium extitit motus, tandem mortuus quietis esse incepit. Pro quo Tibi nunc sacerrima Prædicatorum Religio promeritos reddimus plausus, quòd ejusmodi contineas prædicamentum ad quod ceu doctæ rei generalissimum caput, complures referuntur gradus. Felicem te

ordinẽ

ordinē dixerim, quæ eam Cathegoriarum coordinationē fecisti, ut jam sapientia in certo consistat & genere & specie. Beatā Te nominârim familiam, quæ cùm tales semper edas filios, qui omnibus prædicant, hunc singulari edidisti privilegio, qui ab omnibus prædicatur. Non hic Tua volo in cæteris prædicare merita, quæ Tuo Te prædicans nomine, & magnum Tui agis Præconem, & in magno semper reponeris prædicamento. Non hic Tuos volo rimari labores, quæ etiā minimā orbis laboribus replesti rimam vel ideo, quia Tuæ candidæ nivi, nulla nō pervia rima. Quanta Tu es, quæ etiā Angelos gignis! & ubi Cœlestes spiritus, sunt Angeli parvulorum, Tuus Angelus est Custos Doctorum. In lucidas Doctorū propagaris scintillas; nec mirū.

Nam sole occiduo, sidera cuncta nitent.

Quare non invideas suū Cosroæ cœlum, quando meliori titulo illud in Te cœlasti, sive fundatoriis Stellis, sive Aquinatico Sole, sive posthumis sideribus. Non invideas antiqua antiquo miracula orbi quādo in Aquinatico flumine ad orbis miraculū, Rhodiū solis fundasti Colossum. Vetera non mireris imperia, docto & Tu imperas orbi. Motos cœlorū non stupeas orbes, ex quo enim Motorē tenes Angelum, cœlū Tibi debetur. Monarchicū prima cōquisisti ordinē, ubi Principē, Sciētiæ acquisisti Thomam. Antiquā Divini brachii suscitasti virtutē, ubi in opere sex dierū, dicā clariùs prope sex Centenorū, novum produxisti Angelū. Hunc verò cùm Minoritico hodie prædicandū concedis ori, non minoraris, solos enim parvulos concernit Angelus. Congruū verò, Angelū ab affine sibi laudari nomine: pulchriùs est, quando & ipse Scholasticus hostis, aliena profitetur trophæa. Ideoq; non contemnendū ducite etiā de pusillis istis, quibus Angelica de more conceditur facies. Quod si autē balbutienti velut ore, commissæ hactenus prolatæ sunt laudes; veniam date, illas namq; Minoris effudit lingva: Cui, in facie Angelici ingenii, non aliū esse competebat. Cœterùm quòd ulteriùs panegyrico plausu, Motorem extra Cœlum non promoveat Angelum, extra miraculum sit, quia continuò Angelus discessit ab eo. Dixi.

****